



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 4. Lex talionis in diuinis litteris sæpius repetita, sed cum limitatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

§. IV.

*Lex talionis in diuinis litteris sepius repetita,
sed eum limitatione.*

Legem talionis rectè intellectam iustitiæ & æquitati conformem esse, docent etiam diuinæ litteræ, in quibus Dei ipsius nomine atque authoritate Moyses ita statuit: *Si Exod. 21, vixati fuerint viri, & percusserit quis mulie- 22. rem pregnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. Sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* Similes leges repetuntur & in Leuitico, vt mors morte, & aliud damnum simili damno compensetur. *Qui percusserit, & occiderit hominem, morte Leuit. 24, moriatur. Qui percusserit animal, reddet vi- 17. carium, id est, animam pro anima. Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum, sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet: Qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* Ac rursus in Deuteronomio: *Si steterit testis Deuter. mendax contra hominem, accusans eum pra. 19. 16,*

naricationis, stabunt ambo, quorum causa est,
 ante Dominum, in conspectu sacerdotum & ju-
 dicum, qui fuerint in diebus illis. Cumq; dili-
 gentissime perscrutantes inuenerint, falsum to-
 stem dixisse contra fratrem suum mendacium:
 reddent ei, sicut fratri suo facere cogitauit, &
 auferes malum de medio tui: ut audientes ce-
 teri timorem habeant, & nequaquam talia au-
 deant facere. Non misereberis eius, sed ani-
 mam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro
 dente, manum pro manu, pedem pro pede exi-
 ges. Quæ lex, teste S. Augustino, vindicta
 & furoris non fomes, sed limes est iustus. Quip-
 pe, ut Tertullianus ait, licentia retributionis
 prohibitio erat prouocationis. Et apud Ari-
 stotelem Rhadamantus iustum pronuntiat,
 si, qua quis fecit iniuste, eadem & patiatur.
 Habet tamen, etiam in diuinis libris, hæc lex
 talionis limitationem suam, & exceptionem.
 Tunc enim demum par pari est referendum,
 si persona lædens & læsa, sit eiusdem sortis,
 & æqualis conditionis. Qua de causa, in
 hac ipsa lege mox excipitur is, qui seruum
 percussit. Sequitur enim in illa Exodi lege:
 Si percusserit quisquam oculum serui sui, aut an-
 cilla, & luscus eos fecerit, dimittet eos liberos
 pro oculo, quem eruit. Dentem quoque si ex-
 cussit

S. Augu-
 stino, lib.
 12. contr.
 Faustina.
 cap. 25.
 Tertull.
 lib. 2.
 contr.
 Marcio-
 nē c. 18.

cuſſerit ſeruo vel ancilla ſua, ſimiliter dimittet eos liberos. Quare non iubetur, vt oculo pro oculo, aut dentem pro dente reſtituat. Neque ſanè par eſt, vt, ſi Princeps ruſtico colaphum incutiat, ab eodem colaphum expectet. Maior enim eſt iniuria, ſi Princeps à ruſtico, aut dominus à ſeruo, quàm ſi ruſticus à Principe, aut ſeruus à domino percutiatur. Atq; vt videas legem duodecim tabularum cum diuina congruere, eamdemque vtrique eſſe expoſitionem, *Probabile eſt*, inquit Abulenſis, *quod nonnulli D. D. aſſerunt, ſcilicet pœnam talionis debuiffe irrogari à iudice, ſi laſus illam peteret; quòd ſi non peteret eam, ſed mallet pecuniam, tunc index non tenebatur, immò non poterat infligere pœnam talionis.*

Abulenſis
in c. 24.
Leuit.

§. V.

An Chriſtus ſuſtulerit legem Talionis, quando percutienti inſit maxillam alteram præberi?

Hanc legem non improbavit, & (quia moralis eſt) nec abrogavit Chriſtus, quando dixit: *Audiſtis, quia dictum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico* Matth. 5. 38. *uobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percufferit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, &c.* Clarum eſt enim, Seruatorem